

in cordibus hominum gignere, vel accendere caelestem gratiam? §. 1. Sed obijtur illud

XXX. AUGUSTINI contra Hæreticos Trullatu 5. super Evangelium Joannis. [forte c. an. 412. in Africa.]

Sive bonus, sive malus sit Minister, per utrumque effectus gratia conferitur.

SI iustus fuerit Minister, computo eum cum Paulo, qui gloriam suam non querit, dicens: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Qui vero fuerit superbus Minister, cum Diabolo computatur: sed non contammatur donum Christi; quia per illum & purus fructus transit, & venit ad fertilem terram. Scio quia lapis ex aqua fructum ferre non potest; & si per lapideos canales transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generatur; sed tamen hortus plurimum fructum affert. Spiritus enim virtus Sacramenti ut lux pura ab illuminandis excipitur; sed per immundum transiens non coquinatur.

¶ CORR. ROM. Ab initio huius Capituli usque ad vers. donum Christi. Algerus lib. 3. c. 5. citat ex B. Augustino, cuius tamen propria verba habentur infra de consecr. dist. 4. c. aliud. §. si fuerit.

¶ QUA per illum. Apud B. Augustinum tract. 5. legitur: Quod per illum fuit, purum est; quod per illum transit liquidum, venit ad fertilem terram: pura, quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest: per lapideum canale transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generatur; sed tamen hortus plurimum fructum affert. Spiritus enim virtus Sacramenti ita est, ut lux: & ab illuminandis pura excipitur, & si per immundum transeat, non inquinatur.

XXXI. IDEM ad Vincentium Donatistam, Epist. 48. [c. an. 418. ibid.]

EX Catholica Ecclesia sunt omnia Dominica Sacramenta: quæ sic habentur, & datus, quemadmodum habebantur, & dabuntur, etiam priusquam inde exiretis.

XXXII. IDEM de Baptismo contra Donatistas, lib. 5. c. 19. [c. an. 412. ibid.]

SIC autem Deus adest Sacramentis, & verbis suis, per qualeslibet administrantur, & Sacramenta Dei ubique recta sunt; sicut mali homines, quibus nihil profunt, ubique perverti sunt.

XXXIII. IDEM lib. 4. de Bapt. contra Donatistas, c. 12. [c. an. 412. ibid.]

NEC foris ergo, sicut nec intus quisquam, qui ex parte Diaboli est, potest vel in se, vel in quoquam maculare Sacramentum, quod Christi est.

XXXIV. IDEM ad Emeritum, Epist. 164. [an. 405. ibid.]

Sacramenta, que non mutantur, Catholicis & Hæreticis communia probantur.

Sacramenta, que non mutantur, sicut habentur, appropritate volumus, illis mysteriis Christi, que in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam. Neque enim & Saul depraverat unctioem, quam acceperat, cui unctio tantum honorem rex David pius Dei servus exhibuit.

XXXV. IDEM ad Donatistas. [c. an. 412. ibid.]

Sicut ficti veraciter, non ficti recipiunt, nec eorum Baptisma reprobat; sic & illa, que Schismatici, vel Hæretici, si non aliter habent, nec aliter agunt, quam vera Ecclesia, cum ad nos veniunt, non emendamus, sed potius approbamus.

¶ CORR. ROM. Verba ipsa prioris partis huius Capituli usque ad o. reprobat, non sunt inventa apud B. Augustinum: sed habetur sententia lib. 1. de Bapt. contra Donatistas c. 12. Reliqua autem huius Capituli pars est in eod. lib. c. 13.

XXXVI. IDEM contra Literas Petilianii, lib. 3. c. 9. [c. an. 391. ibid.]

Non fugiantur Sacramenta Dei, a quocumque ministrantur.

NEQUE in homine bono aliquis Dei Sacramenta fugiat, neque in homine malo.

¶ CORR. ROM. Lib. 3. contra Literas Petilianii, unde videtur sumptum esse hoc Caput, sic legitur: Nemo gloriatur nec in homine bono: nemo bona Dei fugiat nec in homine malo. Hoc autem Caput significatur supra dist. 32. c. prater. §. verum principia.

XXXVII. IDEM de Baptismo contra Donatistas, lib. 6. c. 44. [c. an. 412. ibid.]

Hominum malitia Sacramenta non profanant.

Nonne Sodomitæ ethnici erant, id est, gentiles? Pejores ergo erant Judæi, quibus Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis in die iudicii, quam vobis. Et quibus Propheta dicit: Justificasti Sodomam: id est, in comparatione vestri iusta facta est. Numquid tamen ideò Sacramenta divina, que apud Judæos erant, talia erant quales ipsi erant: quæ Dominus quoque ipse percepit, & ad ea celebranda Leprosos, quos mundaverat, misit; & ea Zachariæ ministranti Angelus addidit, eumque in templo sacrificantem exauditum esse nuntiavit. Hæc eadem Sacramenta & in bonis hominibus illius temporis erant, & in malis peioribus, quam sint Ethnici; quandoquidem Sodomitis in malitia prelati sunt: & tamen illa Sacramenta erant in utrisque integra, atque divina. Nam & ipsi Gentiles, si quid divinum, & rectum in doctrinis suis habere poterunt, non improbaverunt Sancti nostri: quævis illi per suas superstitiones, & idololatriam, & superbiam, ceterisque perditos mores detestandi essent, & nisi corrigentur, divino iudicio puniendi.

XXXVIII. IDEM lib. 3. c. 16. [c. an. 412. ibid.]

Sacramenta mali habere possunt, licet virtutem Spiritus Sancti habere non possint.

MULTE autem operationes sunt Spiritus Sancti, quas Apostolus, cum quodam loco, quantum sufficere arbitrat, commemorasset, ita concludit: Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, quævis singulis prout vult. Cum ergo aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud Prophetia, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, ut in Saul; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitatis de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; quolibet Hæretici, & Schismatici accipiant, charitas, quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholice unitatis, & pacis: nec est in omnibus, quia nec ejus sunt omnes.

XXXIX. IDEM eodem libro, c. 18. [c. an. 412. ibid.]

Licet Sacramenta mali ministrant, remissionem peccatorum non præstant.

REMISSIONEM peccatorum avari non dabunt, quæ per orationes Sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, quocumque baptizet, si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur. Non enim Raptoribus, & Fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid potest, nec solvi, ubi non sit qui ad ligare possit, aut solvere: sed solvitur, qui cum columba fecerit pacem; & ligatur, qui cum columba non habet pacem, sive aperte foris sit, sive intus esse videatur.

SI ergo Sacramenta in modum lucis ab immundis coquinari non possunt, si in modum puri fluvii per lapideos canales ad fertiles areolas perveniunt; pater, quod Simoniaci Sacramentum unctioem sibi quidem inuñt, & perniciosè habent; aliis autem utiliter, & salubriter eandem unctioem administrant. Sicut ergo fuit vera Sacramenta Hæreticorum quantum ad formam; ita fuit vera, & non inania quantum ad effectum. §. 1. Sed notandum est, quòd Sacramentorum alia sunt necessitatis, alia dignitatis. Quia enim necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem; illa Sacramenta, quæ saluti sunt necessaria, quia iterari non possunt, cum sint vera; auferri, vel amitti non debent: sed cum pœnitentia rata esse permittuntur. Illa verò Sacramenta, quæ sunt dignitatis, nisi dignè fuerint administrata, ita ut dignè a dignis provehantur, dignitates esse desunt: non ut minuatur veritas Sacramenti, sed ut cesset officium ministrandi, vel loco, ut ait.

XL. LEO I. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, Epist. 90. ad. 92. c. 1. [an. 443. Româ in Galliam.]

De his, qui à Pseudoepiscopis ordinantur.

SI qui Clerici ab istis Pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & Ordinatio eorum cum consensu, & iudicio Præsentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent: Aliter autem vana est habenda Ordinatio, quæ nec loco fundata est, nec autoritate munita.

¶ CORR. ROM. Caput hoc emendatum est, ac locupletatum ex ipsa Epistola, & refertur supra dist. 62. c. 1. §. si qui.

¶ PITH. 16 Cum. Abeat à 3. V. C.

ECCE aliquis à Pseudoepiscopis ordinatur, si locum sine Ordinationis mutaverit, vana est; & sine administratione erit talis Ordinatio.

XLI. INNOCENTIUS I. Epist. 22. c. 5. de Ordinatione à Bonolo. [an. 414. Româ in Macedoniam.]

Quæ pro necessitate conceduntur, eadem cessante cessant.

QUD pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat: quia alius est ordo legitimus, alius usurpato, quam ad præsens a fieri tempus impellit.

¶ CORR. ROM. Quam ad præsens. Hæc sunt addita ex Innocentio, cuius verba in hoc Capite in summam redacta; infra autem q. vii. cap. quod pro remedio, plenius referuntur.

GRATIAN. ERGO aliquis alio tempore ab eo, qui Bonoso similis sit, ordinatus cessabit ab administratione, quæ pro necessitate illius temporis fuit permissa.

ITEM Promotione, ut ait

XLII. LEO I. Epist. 3. ad Julianum Aquilegensem. [an. 447. Româ in Venetiam.]

Qui ab Hæreticis vedetur sine spe promotionis in suis Ordinibus recipi possunt.

SI quis Hæreticæ communionis contagione se macularit, hoc in magno habeat beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo invenitur ordine, permaneat.

¶ CORR. ROM. a Macularit. Hic apud B. Leonem cum alia verba sunt interjecta, tum c. saluberrimum, infra q. vii. Caput enim hoc est quasi summa quædam, quemadmodum & c. omnis, infra eadem. tamen illud paulo plenius sit.

¶ PITH. Julianum. V. C. Januarium.

ECCE si Clericus vel Ordinatione, vel quolibet Sacramento Hæreticis communicat, cessans à promotione vix in suo Ordine perseverat. Non est enim de Sacramento hoc, ut de ceteris. Cetera enim vel ad culpa abluenda dantur, ut Baptismus, & Pœnitentia; vel pro culpis non in æternum, sed ad horam negantur, ut Eucharistia, quæ in articulo mortis Pœnitenti etiam de nefariis peccatis conceditur: Hoc solum non solum pro culpa, sed etiam pro infamia interdicitur, & pro immunda munditie sue, vel extrinsecæ, vel intrinsecæ perfectionis prerogativa, ut Bigamis, vel viduæ maritis, vel illiteratis, vel corporis qualibet parte vitiatas denegatur: quibus tamen Baptismus, vel Eucharistia non negatur. Potest etiam talis cetera Sacramenta administrare, qui istud solum non valet conferre. Unde ait

XLIII. LEO I. ad Episcopos Africa, Epist. 85. al. 87. c. 2. [an. 442. Româ in Africam.]

De Episcopis, qui talem consecrant, qualem consecrare non licet.

SI qui Episcopi talem consecraverint Sacerdotem, quem non licet, etiam aliquo modo damnum propter honoris evaserint, Ordinationis tamen sui ulterius non habebunt: nec illi unquam Sacramento intererunt, quod, neglecto Divino iudicio, immeritò præstiterunt.

GRATIAN. ECCE hoc honoris periculum evadunt, ut cetera Sacramenta Sacerdotaliter administrare permittantur, ab hoc solo non modo pro hæresi, vel pro qualibet majori culpa, sed etiam pro negligentia remouentur. In quibus omnibus sollicitè notandum est, quòd Sacramentum Sacerdotalis promotionis præ ceteris omnibus magis accurate, & dignè dandum, vel accipiendum est: quia nisi ita collatum fuerit, eo desinet esse ratum, quò non fuerit ritè perfectum. Cetera enim Sacramenta unocumque propter se dantur; & unocumque talia sunt, quali corde, vel conscientia accipiuntur: Istud solum non propter se solum, sed propter alios datur: & ideò necesse est, ut vero corde, mundaque conscientia, quantum ad se, fumatur; quantum ad alios vero, non solum sine omni culpa, sed etiam sine omni infamia propter scandalum fratrum: ad quorum utilitatem, non solum ut prælit, sed etiam ut proficit, Sacerdotium datur. Unde

XLIV. HIERONYMUS ad c. 3. Michæ. [c. an. 387. in Palestina.]

Simoniaci rei sunt infidelitatis eorum, qui à se scandalizantur.

HI, quocumque de afeclis suis ordinant, Clericos, & vitam eorum in scandalum populis exponentes, rei sunt infidelitatis eorum, qui scandalizantur.

GRATIAN. REVERA enim qui ad hoc eliguntur, ut ceteris præsent, sicut præordinantur dignitate, sic præminere debent sanctitate. Alioquin, cur ceteris præferuntur, qui nulla meritorum gratiâ à ceteris assumentur? Hinc etiam

XLV. SYMMACHUS Laurentio Mediolanensi Episcopo post vi. Synodum Romanam. [c. an. 505. Româ in Insubriam.]

Sicut honore, ita scientiâ quisque præcellere debet. Viliissimus computandus est, nisi præcellat scientiâ, & sanctitate, qui est honore præstantior.

GRATIAN. PATET ergo illud Augustini (Sacramenta videlicet Christi per Hæreticos ministrata suo non carere effectu) non de omnibus intelligi generaliter, sed de Sacramento Baptismi. Unde ait

Parr. I.

XLVI. IDEM AUGUSTINUS tract. 5. in Joannem. [c. an. 412. in Africa.]

Baptismus sive per bonum, sive per malum ministratur, veterari non debet.

DEDIT Baptismus Judas, & non baptizatum est post Judam: dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem; quia qui datus est à Juda, Baptismus Christi erat; qui autem à Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed Baptismus Christi, etiam per Judæ manus datum, Baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato rectè præponimus. ¶ paulo post. §. 1. Quos baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebrius, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Item paucis interjectis.

¶ CORR. ROM. a Ebrivus. Addita, sublata, & emendata sunt nonnulla in hoc Capite ex originali, non tamen vox ista ob Glossam. Legendum est enim, ebrivus.

XLVII. IDEM de Baptismo contra Donatistas, lib. 4. c. 4. [c. an. 412. ibid.]

De eodem.

SCUT urgeri videor, cum mihi dicitur, ergo Hæreticus dimittit peccata? sic & ego urgeo, cum dico, ergo qui caelestia mandata non servat, avarus, raptor, fœnerator, invidus, verbis non factis seculo renuntians dimittit peccata? si per vim Sacramenti Dei; sicut & ille, ita & ille. Si per meritum suum; nec ille, nec ille. Illud enim Sacramentum & in malis hominibus Christi esse cognoscitur. In corpore autem unice columbæ, incorruptæ, sanctæ, pudicæ, non habentis maculam, aut rugam, nec ille, nec ille invenitur. [Ut si cuius manus esset arida, verum quidem esset membrum; quamvis sine sanguine, & inefficax esset, & mortuum: sic & fides, cum sit vera, tamen sine operibus mortua est.] Item paulo post.

§. 1. Sic ergo in hæresi baptizatus in nomine Sanctæ Trinitatis, tamen non fit templum Dei, si ab hæresi non recesserit; quomodo neque in avaritia in eodem nomine baptizatus fit templum Dei, si ab avaritia non recedat, quæ est idolorum servitus.

¶ CORR. ROM. a Ut si cuius. Verba hæc usque ad vers. Item, in vulgatis B. Augustini codicibus, eo loco non leguntur, neque apud ceteros Collectores.

EX his itaque verbis apparet Baptisma, quod ab Hæreticis tribuitur, virtute sua remissionem conferre peccatorum.

§. 1. Sed econtra testatur

XLVIII. IDEM AUGUSTINUS lib. vi. de Bapt. contra Donatistas, c. 1. [c. an. 412. ibid.]

Baptisma Christi, etsi nulla perversitate violetur, apud Hæreticos tamen caret effectu.

ETIAM corde tardiores, quantum existimo, intelligunt Baptisma Christi nulla perversitate hominis, sive dantis, sive accipientis posse violari. Sed quia aliud est Sacramentum ab effectu Sacramenti; cum eos, qui in ipsa unitate Ecclesiæ perditè vivunt, constat remissionem peccatorum nec dare, nec habere posse, quia non malignis, sed bonis filiis dicitur esse [Sic qui dimiseritis peccata, dimittuntur ei; si qui tenueritis, tenebuntur]: patet ergo Hæreticos tantum dare, vel accipere Sacramentum Baptismi, & non dare remissionem peccatorum.

¶ CORR. ROM. a Sed quæ aliud. Hinc usque ad finem, verbis B. Augustini in summam redactis, sententia tamen manet incolumis. Integer locus habetur de consecr. dist. 4. quomodo, §. non ob aliud.

XLIX. IDEM in Sermone xi. de verbis Domini, de blasphemia in Spiritum Sanctum. [forte c. an. 412. in Africa.]

De eodem.

CORPORALIA Sacramenta, quæ portant, & celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis: Virtus verò pietatis invisibilis, & spiritalis ita in eis non potest esse; quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore.

¶ CORR. ROM. In aliquot vetustis codicibus hoc, & sequens Caput sunt conjuncta superiori.

L. ITEM AMBROSIVS in libro de iniciandis Rudibus. [c. an. 375. Mediolani.]

De eodem.

NON sanat Baptismus Perfidorum; non mundat, sed poluit: quia in diluvio aquarum multarum ad Dominum non approximatur; quia, ut per Apostolum dicitur: Quidquid non est ex fide, peccatum est: & ipsi, qui faciunt, & quibus faciunt, non solum non prodest, sed ad iudicium est.

¶ CORR. ROM. a Polluit. Hucusque Ambrosius. Sed Algerus lib. 3. c. 1. refert hunc locum, addit usque ad vers. approximatur, ac deinde c. 13. citans etiam eundem librum Beati Ambrosii, adjungit reliqua huius Capituli usque ad finem.